

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

rum ut ex his seminibus, messem paulò post benè copiosam sperare queamus. Atque utinam tam esset nobis parata & in hisce juvandis & sustentandis facultas, quam non deest exprompta voluntas, daremus mox uberes proventus. Neque Joannem hunc Mertel, qui has perfert, hinc discedere passi essemus, cujus probatum ingenium, & nisi iudicio fallimur, liberali & benignâ etiam per cætera naturâ est præditus. Apud nos idcirco locum non invenit, quod multitudine, ex universis regionibus huc confluentium tantum non obruamur. Si quid ergo, mi reverende Marpachi, potes, quælo opt. juvenem ut tua autoritate promoveas. De statu Ecclesiæ nihil accipimus profus, nec satis mecum constituo, boni ne an sinistri ominis sit tam altum silentium? Si quid habes, quod communicare amico sit integrum, rogo ut perscribas, & bene valeas in Christo JESU cum Syñistis fratribus, & Professoribus quibus cupio salutem dicas meis verbis amanter & reverenter. Scripsi, Basil. 20. Octobr. Anno 1557.

Tuus ex animo

S. Sulcerus.

LI.

S. D. Clarissime D. Doctor, Patrone colende. Dei beneficio salvus & incolumis Rostochium redii die decimo quarto, postquam Francofordiâ discessi. Domum reversus in tristem & horrendam hujus Ecclesiæ perturbationem incidi, quam si prævidere isthic potuissem, tota hyeme in patria commoratus essem.

Doctor Tilemannus, qui præcipuum hujus Ecclesiæ & Scholæ ornamentum & præsidium fuit, cum Senatum hujus urbis acerbius taxasset, & Consulem, qui apud cives dixerat, Pharisaicam sectam ab eo institui, nominatim excommunicasset: jussu Senatus, una cum Collega, ex urbe discessit. Nunc *ἰλιθὲς κακῶν* sequetur, cum Princeps eum, ante causæ cognitionem, restitui, & gravem multam à Senatu pendi velit. Itaq; Filium Dei oro, ut huic Tragediæ placidam *ἡσυχίαν* tribuat.

De mea vocatione scripsi ad meos Principes. Verum nihil adhuc responderunt. Te oro, ut paternam erga me benevolentiam tuam, multis illustribus testimoniis mihi perspectam ferves, neque eam aliorum calumniis imminui patiare.

Salutem reverenter opto, Reverendo viro D. Pistorio, & D. Doctori Wern-

A. 1557.

Wernhero, cui pagellas adjunctas exhibebis. Bene vale. Rostochii 22.

Octobris.

De Historia Colloqui, quantum amico scire licet, optarim mihi à te significari.

David Chytræus.

Inscriptio.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti, Doctori Johanni Marbachio, Domino suo & Patrono colendo.

Worms in den weissen Schwan.

LII.

S. D. Reverende Vir & Carissime Frater.

Post iter tuum, profus nihil egerunt nobiscum, ἔτι ἰ βασιονίς, ἔτι ἰ κινε-
201504. Nostri Collegæ etiam non sæpe convenerunt, & quia me calculus excruciat, & quia Brentius expatiatus fuit Moguntiam. Ante biduum hac iter fecit proficiscens in Belgicum Tridentinus, in cujus comitatu fuerunt & Itali, qui me allocuti sunt, inter quos Genuensis quidam mihi librum exhibuit, scriptum contra Philosophiam. Cum hoc rixatus sum, abjicit enim universam & contendit, ut Arcesilas, nihil esse certi in Physicis & Ethicis. Talis est, proh dolor! hujus ætatis petulantia & impudentia, ut non solum Ecclesiæ doctrinam, sed etiam artium demonstrationes multi furenter lace-
rent, quæ sunt & dona DEI, & testimonia de DEI præsentia in nobis. Quare nos juventutem majore cura ad rectas sententias adfuefaciamus. Bene vale, die 8. Novembris.

Salutem Domino Sturmio & vobis omnibus opto.

Philippus.

LIII.

S. D. Clarissime Domine Doctore, Patrone colende.

Spero, hanc tristem Tragædiam, quæ in hac Rostochiensis Ecclesia, Diaboli arte inflammata est, occasione fore rectius constituendi studium doctrinæ Theologicæ, & ornandi Academiam inclytæ urbis Heydelbergæ. Nam Clarissimi Domini Doctoris Tilemanni voluntatem ex crebris literis atque sermonibus ita perspexi, ut non dubitem, eum, si ab Illustrissimo Principe Palatino, & Academia legitimè vocabitur, assignato stipendio, quale apud nos habet, 260. fl. & 24. modiorum frumenti, futuro vere una cum familiâ
K isthuc